

Käuflich erworben
von der M. B. Halle



Freiherr v. Ende-Miljeßnitz



XV.

CHRISTIANI VVILDVOGELII JCTI,

CONSILIARII SAXO - ISENACENSIS INTIMI

ET ANTECESSORIS

COLLEGI JVRIDICI h. t. DECANI

DE

SIGNO MANVS REGIÆ

DES KOENIGS HANDZEICHEN

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P. Jena, d. V. Febr. A. O. R. MDCCH.

J E N Æ.

Typis JOH. ADOLPHI MVLLERI



Um omnes actiones humanæ, ex quibus obligatio quædam in foro civili efficax enascitur, duobus innitantur principiis, intellectu nimirum & voluntate, utrumque horam signo quodam externo manifestari, aliisve demonstrari necessum est. Nec enim ea, quæ in mente consistunt, aliis aut profunt quicquam aut noceant. Præclare Hugo Grotius *Lib. III d. Jur. B. & P. cap. 4. §. 3.* observat, actum internum merum legibus humanis non subjacere, quia nudis animi actibus efficientiam juris tribuere non fuerit congruum, naturæ humanæ, quæ hominum pectora scrutari nequit, nec nisi ex signis actus ejusmodi internos cognoscere potest. Hinc omnis Juristarum schola, juxta *L. VII. C. d. condict. ob caus. dat. & L. fin. C. d. possib.* unâ voce asserit, propositum in mente retentum nullum prorsus producere effectum. Internæ autem voluntatis declarandæ varii inter homines adinventi, aut naturâ ipsâ constituti sunt modi, dum aut verbis ore prolatis, aut literis & figuris manu exaratis, aut signis quibusdam externis, imo & nutu saltem aliisve facto, ex quo consensus colligi

ligi potest, alter alteri mentis suæ sensa aperit. **Orta**
hinc itidem est inter **JCTos** notissima distinctio, quæ
pactorum quædam *tacita*, quædam *expressa* esse perhi-
bentur, atque hæc quidem vocantur, quæ expressis ver-
bis proferuntur; illa vero tunc concipiuntur, quando
ex factorum qualitate absque sermone aut literarum ad-
miniculo intentio agentis concluditur. Vtrisque horum
pactorum eadem vis tam in obligando, quam in liberan-
do legibus tribuitur, ut proinde & taciti & expressi idem
esse iudicium, juxta *L. III. ff. si cere. pot. L. fin. ff. d. leg. 2.*
aliosve juris textus ab aliis studiosè allegatos, vulgò cen-
seatur & pronuncietur. **Cæterum** cum in *tacitarum*
conventionum exemplis, quippe quæ solertioribus le-
gum civilium indagatoribus non possunt non subinde
esse perspecta, jam occupari nolimus, unicum saltent
inter cætera memorabile, ex juris Saxonici antiqui
placitis producam, expositurus in præsentem de **SIGNO**
MANVS REGIÆ, in Speculo juris Sax. sive *Land-*
recht Lib. I. art. 26. commemorato, unde jus civitatis ac
fori, sive mercaturæ à Rege concessum firmiter colligi
posse docetur. Nec enim inter privatos modo, sed &
inter personas in functione publicâ constitutas, quin
imò regîa dignitate fulgentes, is quondam mos invaluit,
ut externo quodam *renunciis* animi sui sensus aliis de-
clararent. Prohibetur autem jam allegato loco, ne ul-
li privatorum fas sit, forum erigere, aut officinam mo-
netariam condere absque licentia iudicis, id est Princi-
pis, qui in eo loco jurisdictionem exercet. Subjungi-
tur hinc, à Rege **SIGNVM MANVS SVÆ** eum in fi-
nem transmitti debere, ut ex illo consensus ejus proba-

ri queat. Teutonicus textus id ipsum hisce enunciat
verbis: Auch soll der König durch Recht sein Hand
Zeichen darzu senden / zu einer Beweisung / das es seyn
Wille sey. Quid verò per illud *regia manus signum*
compilator Juris Saxonici intellexerit, haud adeò facile
appareret, nisi verbo latina de **CHIROTHECA REGIA**
vocem istam interpretata succurreret. Verba versio-
nis ita habent: *Etiã Rex in signum sui consensus suam*
ad hoc mittere debet CHIROTHECAM. Instituti mo-
risque hujus originem, operis illius, quod Weichbild
vocari solitum, Saxonum antiquorum jura complecti-
tur, autor nobis suggerit. Postquam enim is *art. IX.* lon-
giori enarratione exposuisset, quâ ratione mercatores à
Germanorum Rege jura certa expetentes, ad flumina
navigabilia, ut urbes muris & vallis munitas ibi extrue-
rent, remissi fuerint, hæc subdit: Und da gab In der
König mehr andere und solch Recht / als er teglichen an
seinem Hoff selbst hette und besteriget In die / und bot In
seine Hand dar / da begreif In ein Kauffmann / und zohr In
den rechten Handschuch ab &c. Et paulò post: das ist
noch das Urkund / wo man neue Stadt hawet / oder
Werck macht / das man da ein Creuz setzet auf den Marckt /
durch das man sehe / das Weichfried da sey. Und man
hencket auch da des Königs Handschuch daran / durch
das / das man darbey sehe / das es des Königs Wille sey.
Atque ex narratione isthac Glossator ad prædictum *Art.*
IX. Weichbild, infert: per crucem jurisdictionem ec-
clesiasticam, secularem vero per chirothecam designari.
Bey dem Creuz / inquit ibi, ist auch zu vernemen Gots
tes Fried, denn zu derselben Stadt sollen gehören beide
geiste

geistlich und weltlich Gericht / das weltlich Gericht vor
dem Kaiser (das ist zu vernemen bey dem Handschuch)
das geistlich Gericht bey dem Creuz. Verum enim ve-
rò uti is Glossatoris Saxonici fabulari longius immorari
erubescimus, satis quippè ignari, plura istiusmodi so-
mnia & commenta in antiquis commentariis deprehendi;
ita in istius ritus, si quis fuit, rationem altius
inquirere conabimur. Illis nimirum, qui
rerum antiquitùs gestarum monumenta excutiunt, in-
cognitum esse nequit, tantum honoris chirothecis quon-
dam fuisse assignatum, ut in quamplurimis rebus ac ma-
joris momenti actibus signi instar adhiberentur, & so-
lennitatis partem haud exiguam constituerent. Cùm
enim manus præcipua hominis pars, quippe quâ ad a-
ctiones nostras obeundas utimur, ab omnibus habeatur,
vestimentum illud, quo manus obtegitur, non mind-
ri potentiâ ac facultate pollere, veteres voluerunt, at-
que hinc chirothecas in nonnullis negotiis ipsius manus
loco adhibere, haud incommodum duxerunt. Refert sanctus
Sleidanus *Lib. XIX. de stat. Relig.* inter alia, quæ Galliarum
Regis inaugurationem condecorarunt, solennia, id quo-
que conspicuum fuisse, quod Rex non novis tantum ve-
stibus exornatus, & in utriusque manus palmâ inunctus,
sed manibus quoque ad pectus compositis, *chirothecis*
consecratis fuerit indutus. Sed major chirothecarum
usus in contractibus aliisque veterum actibus consimilibus
elucebat. Nullæ quippe donationes, traditiones ac ces-
siones apud Saxones olim celebrabantur, quin per traditi-
onem chirothecarum firmarentur; id quod ex variis di-
plomatis Gryphander *Tr. d. coloss. Weichbild. caps.*

LXXVI. n. 10. copiosius ostendit. Sic & de Henrico II. Imperatore Broverus *in vita Meimweri* narrat, quod cum mortuo Episcopo Paderbornensi viduata ecclesia. novum Præsulem flagitasset, Imperator Principibus & Episcopis adstantibus circumfusus Meimwercum elegerit, eique jam adventanti sumtâ *chirothecâ* dixerit: accipe: interroganti vero, quid acciperet? responderit: Episcopatum Paderbornensis ecclesiz. Pignoris porrò loco chirothecas sæpius intervenisse, res superioribus seculis gestæ commonstrant. Duello enim decertaturi *chirothecas* in Symbolum dare invicem consueverunt, quo non fidem tantum mutuam adstringerent, sed & de sumtibus in eam rem factis victori ex bonis victi restituendis caverent. Quod argumenti genus Rittershus. *Partit. feudal. Lib. II. cap. ult. qv. 35.* & M. Joh. Gottfr. Böhme, *in dissert. de pign. per chirothecam. Lips. an. 1674. conscriptâ* uberius illustrarunt. Quin & in subjectionis tesseram chirothecas multis in locis hodiernum Superiori aut Principum ministro a subditis exhiberi, juris publici scriptores docent. De Regionio Borussia metropoli Limnæus *Tom. 1. Addit. Jur. publ. Lib. IV. cap. 7. n. fin.* memorat, quod, quando Duci suo homagium præstat, eidem ex inveterato more per Consulem antiquæ civitatis *Chirothecam sinistra manus*, einen linken Handschuh /zusammitt 300. Pfennigen alten Geldes offerre soleat. Refert & idem scriptor de Urselensibus, Episcopo Curiensi quoad ecclesiastica subjectis, quod præfectus, tanquam caput magistratus, annuatim electus, confestim post electionem peractam Dissentis, quæ est urbs Rhe-

tie

ria, ad unum ex Prælatiſ proficiſci, atque oblato in-
pretium muneris collati *chirothecarum albarum pari*,
jurisdictionem petere neceſſum habeat. Simile quid de
civitatibus Norinbergâ, Wormatiâ & Bambergâ, poſt
Ludovicum ab Hörnig, *Tr. de Jur. Poſtar. cap. X.* Pelle-
rus in *Obſerv. ad Klock. de arar. Lib. I. cap. 2. n. 7.* & Spreng-
er in *Delineat. Stat. Imp. pag. 431.* annotant, dum eas
ſcribunt quotannis Francofurti ad Mœnum, in nundinis
circa feſtum nativitatſ dei paræ Virginis, *αυλητήρειον*,
ſeu conventum, dictum *das Pfeiſſegericht*/ſolemniter ce-
lebrare, atque in eo immunitatiſ à præſtatione veſtigialium
privilegium renovare, & in redemptionis pretium Prætori
civitatiſ poculum ligneum album, piperis libram, pile-
um veterem, & *par chirothecarum candidarum*, unâ cum
baculo albo exhibere. Plura de vario chirothecarum uſu, &
quid imprimis in jure Sax: hinc inde circa, eaſdem
conſtitutum ſit, exponere nunc ſuperſedeo, diſſertati-
one illâ in tempus & occaſionem aliam reſervatâ. In-
præſenti enim ad aliud *regiæ manuſ ſignum* nobis atten-
dendum venit, ad honores nempe & privilegia, quæ à
glorioſiſſimorum Imperatorum coronâ iis, qui veram
ſapientiam affectantur, dudum deſtinata ſunt, hodie-
que in Academiis præſertim deſerri conſueverunt. Cum
enim Sapientiſſimi Principes haud temere efficacius ad
virtutiſ cultum incitamentum, quam nominis gloriâ
& honoris prærogativam eſſe, obſervaverint, dignita-
tum ac magnificorum titulorum præmio honeſtare eos
decreverunt, qui egregiis artibus addicti, præclara e-
ruditionis laude alioſ antecellunt. Eſt enim *chirothe-
carum*, aliquod velut regiſ illiſ beneficiſ pignus, porri-
gen-

gendam aut suspendendam non sanciverint, literas ta-
men *regia manu* exaratas promulgant, per quas iis,
qui eximia doctrinae specimina edidit, sicque se ho-
nore non indignos esse, publice demonstrarunt,
amplissimas dignitates impertiendi facultatem, universita-
tum collegiis indulgerent. Quare & Salanus Jctorum
ordo honore istiusmodi maclare constituit, pereximium
atque clarissimum Jurium Candidatum

SAMVELEM BEILFVSSIVM,
BELGARDIA POMERANVM.

quippe qui hactenus omni alacritate annisus est, ut hau-
sis feliciter non artium saltem liberalium, sed & lega-
lis scientiae praeceptis, dignum se ostenderet, cui docto-
rales honores ac nobilitatis rogatae tituli regia manu
conferrentur. Ut vero de natalibus ejusdem studiisve
gloriose exantatis plenius constet, vitam ipsius, acade-
miarum more a majoribus tradito, retexemus. Anno
proxime elapsi seculi septuagesimo nono, die XXV. Au-
gusti in lucem editus, Patrem celebrat reverendum plu-
rimum atque amplissimum virum, M. JACOBVM
BEILFVSSIVM, Synodi Belgardensis Praepositum, Ec-
clesiaeque ibidem Pastorem primum spectatissimum.
Genericem vero VRSVLAM CATHARINAM, no-
bilissimi quondam viri, SAMVELIS SCHMIDII,
Consulis Belgardensis, atque in florentissimo ulterioris
Pomeraniae Dicasterio Advocati filiam, matronam
pulcherrimarum virtutum nitore insigniter lucentem.
Prima pietatis ac literarum rudimenta in schola patriâ
perdidit, a Rectoribus fide & dexteritate quondam
præ-

præstantissimis, ad cœlitum choros nunc evocatis,
CHRISTIANO EXNERO, & JACOBO FRIEDERICO
BEILFVSSIO, fratre amantissimo, curate informatus.
Ex trivio isthoc, cum capacissimæ indolis luculentissima
indicia de se prodidisset, ablegabatur ad *Colbergensē* Ly-
ceum, in quo, præeunte primum Rectore præclaris-
simo, JOHANNE CHRISTOPHORO HOESEL,
hodie Curiā Variscorum ad S. Michaelis templum Pa-
store meritissimo, deinceps verò sub ductu viri erudi-
tione docendique artificio præcellentis, M. PAVLI
LVTKEMANNI, regundæ Scholæ *Höfelsio* avvocato ad-
moti, ut & ex vigilantissimi Conrectoris JOHANNIS
BVSICHII disciplinâ profectus tam insignes consecutus
est, ut parentum optimorum prudentiam egregiamque
solicitudinem vel eo nomine, quod mature illoc ire-
jusserint, extollat. Teste enim LVTKEMANNO præ-
laudato, per triennium tempore & ætate ibidem vere-
usus, in latinâ græcæque lingua, in Logica, Rhetorica,
Ethica & Politica tam eximie profecerat, ut pa-
tria talem, qualem semper exoptavit, sperare possēt. Tan-
tis instructus adminiculis non potuit non divinâ adspi-
rante gratiâ in sublimioribus studiis ad magnam perve-
nire gloriam, postquam anno superioris seculi nonage-
simo nono, Polyhistore & Jcto quondam excellentissi-
mo, GEORGIO SCHVBARTO academiæ gubernâ-
culis præsidente, ad Nos delatus, incredibili animi a-
lacritate latisimoque impetu in amplissimum studii ju-
ridici campum excurrit. Effusos illos promissimi Ju-
venis nisus magnopere provehebant peritissimi, quos
opportune hic offendebat, tum disciplinarum philoso-
phica-

phicarum, tum prolixorum Jurium interpretes, eosque
velut duces, iter arduum viamque ad sapientiae ac The-
midos fastigia ferentem demonstrantes, summam fiduciam
sequebatur. Haud recusabat ire, qua primum ducebat
Magnificus & excellentissimus vir, JOHANNES
BERNHARDVS FRISIVS, Hereditarius in Pöfen-,
Jctus, Consiliarius Saxo-Isenacensis aulicus & Consisto-
rialis splendidissimus, nec non Antecessor celeberrimus,
qui, cum per tot lustra insignem expeditissimorum ju-
venum coetum ad praecelsa juris cacumina fidissimi du-
cis more eduxerit, nec ullum sefellerit unquam, in-
gentem gloriam perpetuamque laudem toti nostrae aca-
demiae conciliavit. Praeunte ipso amoenissimas *Instituti-*
onum Justinianearum calles repetitam vice tam feliciter
percorrebat, ut ingressus posthac ad easdem *Instituti-*
ones collegii examinatorii & disputatorii spatio, laudato
Frisio totum cursum dirigente, multos alios longis pa-
ralangis superaret. Isthoc negotio perfunctus, eam
quam vir de jurium disciplina immortaliter meritus, B.
Struvius, in forensi sua *Jurisprudencia* straverat, semita-
m, sub eodem ductu *Frisiano* procedebat, & cum mea
interea manu ductione usus, modum allegandi & abbrevi-
ationes legendi, rubricas *Digestorum* exponendi, eor-
umque titulos sine indicis subsidio invenendi ac questio-
num aliarum curiosarum anfractus superasset, FRISII
sui auspicia ad *Struvianum juris civilis Syntagma*, *Com-*
pendiumque Lauterbachianum exercebat, atque dum
via *Lauterbachio* paratam incedebat, *disputatorio collegio*
a Magnifico *Frisio* adornato mistus, nunc rectos juris-
tramites defendebat, nunc adversus alios, qui ad fal-
lacia-

XII
laciaram errorumque præcipitia incautos abducunt, ma-
scule congregiebatur. Huc usque, igitur in nobilis-
simo juris studio, sagacissimo Antecessore facem præ-
ferente, proVectus erat, cum tantundem itineris, utut
minus præcipitis atque ardori, superesse, quantum emensus
erat, animadvertens, alios circumspiceret duces, viros
sive privatâ, sive publicâ autoritate præpollentes. Seque-
batur protinus Consultissimum virum, D. FLOER-
KIVM, curiæ Provincialis Advocatum solertissimum,
nunc *Dessliana Juris Canonici Erotemata* explanantem,
nunc *Syntagma Juris Feudalis Struvianum* dissertationi-
bus publicis illustrantem. Hinc adjungebat sese Jurium
Doctorem excellentissimum, JOHANNI CHRISTIANO
SCHROETERO, Advocato Curie provincialis meritis-
simo, Professore Juris hodie extraordinario, profundi-
diores illos recessus, quos prælaudatum *Juris feudalis
Struvianum Syntagma* in se continet, fideliter aperien-
ti. Decurrens sic ad ultimum studiorum metam, non
magnificum tantum ordinis nostri Seniosem, JOHAN-
NEM PHILIPPVM SLEVOGTIVM ad *Schpæderi
Jus publicum* commentantem, sed & JOCUM, ætatis ac
meritorum gloriam eminentem, ADRIANVM BELE-
RVM, Professore Juris ordinarij, Curie provin-
cialis, & Facultatis juridicæ, nec non Scabinatus As-
fessorem gravissimum *Schnobelianas ad Digesta disputa-
tiones* operâ publicâ interpretantem constanter asse-
batur. Evaserat igitur in editum Jurisprudentiæ ver-
ticem, cum Genitrice charissimâ, quæ, Patre ante
quadriennium morte abrepto, unicum ipsius solatium
erat, laboris exantlavi præmia & testimonia publica,
penes

penes nostrum petere Collegium haberetur. Diu se-
cum; num tantum ambiendum decus esset; luctatus,
obstrepere venerandæ matri religio duxit; atque adeo
desideria sua nostro Collegio modestissime significavit.
Nos, quæis optimi Candidati labores antea exhausti ab-
unde jam erant perspecti, in testamine primùm, de-
inde in examine quoque rigoroso instituto tantos tam-
que laudabiles experti sumus profectus, ut publica spe-
cimina exprømendæ copiatæ unânimi suffragio plausu-
que factæ singulari indulerimus. Quare Magnificom
Dn. Rectorem, Patres Academiæ venerandos, Docto-
res cæteros nobilissimos, omniumque Facultatum Stu-
diosos eruditissimos Collegii nomine officiose ac per-
humaniter rogo, ut Candidatum prorsus eximium, die
crastinâ cursoriam, quam vocant, lectionem *ad L. un.
C. d. his qui parent. vel liber. occider.* recitaturum bene-
vole auscultent. Venustate morum, facundiâ suavi
& eruditionis haud vulgaris apparatû auditorum animos
sibi facile conciliabit. Nos vero, quicquid ipsi bene-
volentia hæc in re fuerit exhibitum, id tanquam in
nos collatum interpretati, omni officiorum genere com-
pensare magnopere annitemur. P. P. In Acad. Jenensiy
d. V. Febr. A. O. R. M DCCII.

00 A 6324

ULB Halle


3

002 937 115



W 17







XV.

CHRISTIANI VVILDVOGELII JCTI,

CONSILIARII SAXO - ISENACENSIS INTIMI

ET ANTECESSORIS

COLLEGII JVRIDICI h. t. DECANI

DE

SIGNO MANVS REGIÆ

DES KOENIGS HANDZEICHEN

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P. Jena, d. V. Febr. A. O. R. MDCCLII.

J E N Æ.

Typis JOH. ADOLPHI MULLERI